

## De Catulli carmine LXII.

### Particula II.

Catullus in c. LXII quam compositionis artem ac rationem adhibuisset et quos Graecorum poëtas imitatus esset, libello ante annum edito satis multis verbis disseruisse mihi videor. Restat, ut singulos illius carminis versus persequar atque omnia quae ad eos interpretandos pertinent afferam. Sed priusquam ad interpretationem ipsam accedam, de codicum origine singulorumque auctoritate et ratione quid sit statuendum in quaestionem vocabo.<sup>1)</sup> Omnes enim manu scriptos libros hodie superstites carminum Catullianorum — sunt autem plus septuaginta numero — ex uno eodemque archetypo, qui iam multis mendis infectus erat, originem traxisse certum est et exploratum. Ex hoc libro solum carmen LXII saeculo octavo in florilegium carminum Latinorum quoddam Gallicanum fluxit, unde saeculo nono exeunte in Iacobi Augusti Thuanii codicem (= T) venit, qui nunc in bibliotheca Parisina conservatur numero 8071 notatus. Tanta autem est huius codicis Thuanei vetustate praeter ceteros excellentis auctoritas, ut in textu carminis LXII constituendo fidissimus dux existimandus sit. Ex eodem archetypo saeculo octavo integrum apographon factum est, ex quo derivatus est codex Veronensis (= V). Is omnia Catulli carmina complectitur eumque anno fere 965 RATHERIUM episcopum Veronensem legisse probabile est. Quod exemplar corruptum ac mendosum paulo post diuturna obrutum oblivione sub finem demum saeculi quarti decimi Veronae a cive Veronensi („compatriota“) ex latebris protractum, sed tum iterum amissum est et usque ad hunc diem latet. Anno autem 1375 ex ipso codice V descriptus est liber membranaceus Sangermanensis (= G), qui nunc in bibliotheca nationali Parisina numero 14137 signatus adservatur. Multis locis habet varias lectiones temporibus procedentibus a compluribus correctoribus partim in margine partim inter versus adscriptas permultasque correctiones tam scienter ab iis factas, ut saepius genuina scriptura cognosci nequeat. Cui codici G aetate par aut certe non multo inferior est Oxoniensis (= O), membranaceus, nunc inter bibliothecae Bodleianae libros Canonicianos numero 30 servatus, qui quod ad externum habitum attinet cum G tantopere consentit, ut dubitari nequeat, quin aequae atque ille ex libro V ipso descriptus sit. Rarissime liber O, qui correctorum manus non passus est, scripturarum varietatem exhibet, in universum autem multo pluribus mendis,

<sup>1)</sup> Qua de re imprimis conferenda sunt ea quae K. P. Schulzius (v. proleg. edit. Baehrens. a. 1893) accuratissime disputavit.

sed plerumque non ita gravibus affectus est. Ceteris auctoritate longe inferioribus libris, quorum ante saeculum quintum decimum nullus ortus est, semper fere possumus carere, quod ad emendanda Catulli verba non multum afferunt. Omnis igitur emendatio carminis LXII proficisci debet primum a codice T, deinde respiciendi sunt libri G et O, quorum consensus tantus est, ut plerumque codicis V genuina scriptura restitui possit, quare ubi illi inter se consentiunt, homines docti simplici nomine V utuntur.

Progredimur nunc ad interpretationem ipsam:

**V. 1/2.** Ac ‚Vesper‘, qui v. 7 ‚noctifer‘, in ipso cantu amoebaeo gravitatis causa ‚Hesperus‘ appellatur (cfr. Bonin. l. l. p. 17), est stella vespertina, quam Plautus vespuginem nominavit.

‚Consurgite‘ sc. a mensis vel a cena, cfr. v. 3 ‚linquere mensas‘.

Dubitant interpretes, quo modo intelligenda sint verba: ‚Vesper Olympo lumina tollit‘, utrum ‚Olympo‘ per metonymiam pro caelo an propria cum notione dictum sit, deinde de casu ‚Olympo‘, utrum dativus sit an ablativus. Quas dubitationes ut solvamus, optimum est de versu septimo, qui illi respondet, ‚Nimirum Oetaeos ostendit noctifer ignes‘ ordiri, quo loco de Oeta monte Thessaliae solo cogitari potest, cum ‚Oetaeos ignes‘ usurpatum esse pro „caelestibus ignibus“ nusquam tradatur. Quare in primo quoque versu mons Olympus intellegendus est, quamquam Romanos iam inde ab Ennio more Graecorum Olympum pro caelo interdum usurpasse satis constat (cfr. Bachrens. comment. p. 323). — Ceterum Ellisius in altera commentarii editione (Oxoniae 1889), quam sero inspicere me potuisse valde doleo, satis superque evicit montem intellegendum esse. — Difficilior est altera quaestio, utrum ‚Olympo‘ sit casus dativus an ablativus. Ac grammaticae quidem uterque casus recte se habet. Dativus enim directionis, de quo solo hic cogitare possumus, saepius cum verbis, in quibus movendi quaedam notio inest, invenitur, ut Draegerus (hist. Synt. d. lat. Spr. I<sup>2</sup> 426 sq.) G. Schroetero auctore

(cfr. Progr. Sagan. 1873) permultis exemplis confirmat. Nec minus ablativus in vocabulo ‚Olympo‘ defendi potest, is ablativus qui apud verba movendi saepius usurpatur a poetis etiamsi non sunt cum praepositionibus coniuncta, cuius de usu et ratione Draegerus (l. l. § 214 sq.) amplius disseruit, i. e. von . . . her. Videas quoque verbum surgendi apud Nonium (p. 397), quo loco ab Ellisio collaudato scriptum videmus: „surgere, erigi. Sallustius Historiarum lib. V: sella surgere, caput aperire solitum“. Neque alia est ratio loci Ovidiani, ubi (fast. II 149 sq.) usurpatur praepositio „ab“ apud extollendi verbum: „Quintus ab aequoribus nitidum iubar extulit undis Lucifer“.

Itaque nihil nisi sensus loci quaestionem diiudicabit. Atque cum stella vespertina in occidente oriatur, facere non possumus, quin iuvenum virginumque choros in ea regione, quae spectat ad orientem solem, partes agentes fingamus, ita ut oculos in occidentem convertentes Olympum et Oetam Thessaliae montes conspiciant. Equidem censeo hos montes ea de causa a poeta esse nominatos, quia extrema loca sunt, quo cantantium acies intendi potest. Quod si verum est, stella vespertina non prius a choris conspicitur, quam supra montes quos commemoravimus elucens in regiones cantantium sese extollere incipit. Itaque dativus casus hoc loco repudiandus, ablativus accipiendus est, et Weberi sententiam, qui „vesperum luminis sui corusci radios ‚per Olympum‘ fusos tollentem“

argute interpretatur, prorsus negligere possumus.

„Vix tandem“, ut apud Terent. Andr. III 1, 12 „vix tandem sensi“ et Phorm. II 1, 4, apud Cic. epist. ad fam. III 9, 1 et alibi, hoc loco iuvenum summum impatientiae gradum exprimit (= tandem aliquando).

Pluralem intensivum quem grammatici dicunt „lumina“ apte explicat Baehrensius „lumen late in omnes partes splendens“, similiter in v. 7 invenitur „ignes“.

**v. 3.** Pro „surgere iam tempus“ expectes „surgere iam tempus est“ i. e. „tempus vel opportunum est“, sed in formula „tempus est“ haud raro verbum auxiliare omitti Baehrensius nonnullis exemplis comprobavit Verg. Aen. V 637, VI 46 aliosque locos afferens. Cuius rei excusationem K. P. Schulzius (diss. p. 8) a commotione quadam animi recte petivit. Sed in hac formula „infinitivum tam recte quam gerundium poni etiam in prosa“, ut Baehrensius vult, non verum esse iam Weberus admonuit (l. l. p. 42 sq.) statuens: „tempus est (sc. me) surgere“ significare „es ist an der Zeit, es ist (für mich) Zeit, aufzustehen ex. gr. quia satis diu sedimus; „tempus est surgendi“ es ist jetzt die Zeit, Gelegenheit zum Aufstehen, quia nunc id per idoneam occasionem vel opportunitatem efficere licet; est igitur: es ist jetzt ein günstiger Zeitpunkt, passende Zeit zum Aufstehen“. Rectissime quidem, sed disputationem suam per quinque paginas continuatam plane supervacaneam esse cognovisset, si F. Ellendtii grammaticam in scholarum usum conscriptam inspexisset, qui § 334, adn. 2 (edit. 24) illam differentiam satis dilucide explicavit.

Similiter verbum „est“ omissum est in versu 14, ubi cum rhetorica quadam vi „nec mirum“ pro „nec mirum est“ scriptum videmus. Catullum autem in quibusdam tantum

locutionibus illud „est“ omisisse K. P. Schulzius docet.<sup>1)</sup>

„Iam (tempus) pinguis linquere mensas“: „pinguis mensas“ est epulis copiosas, lautas; similem in modum Martialis (V 44, 7) „captus es unctiore mensa“ dixit.

**v. 4.** „Iam veniet virgo“: nova nupta a domo paterna appropinquabit.

„Dicetur Hymenaeus“, canetur carmen nuptiale, ut in v. 8 „dicere iam incipient“ legitur. Poëtas vero verba canendi, cantandi, concinendi, dicendi sine ulla notionis differentia usurpasse exemplis ab O. Iahnio (Hermae II 419 sq.) allatis apparet. Verbi „dicetur“ ultima syllaba ante vocem Graecanicam „Hymenaeus“ producta est,<sup>2)</sup> ut c. 66, 11 „auctus Hymenaeo“, c. 64, 20 „despexit Hymenaeos“, apud Verg. Aen. X 720 „profugus Hymenaeos“ legitur.

**v. 5.** Prima syllaba vocis „Hymen“, quae anceps est, brevis est in carmine LXI (vide v. 5 etc.), longa in hoc.

Hymen vel Hymenaeus, vel coniunctim Hymen Hymenaeus, deus nuptiarum praeses habitus in nuptiis a Graecis eorumque imitatoribus Romanis invocabatur. Similes autem formulas, quales versus quintus praebet, antiquis temporibus in nuptiis cantatas esse Baehrensius et Riesius ad c. LXI 4 recte adnotaverunt.<sup>3)</sup>

**v. 6.** Puellas, quas iuvenes surrexisse animadvertunt, una alloquitur verbis: „cernitis, innuptae, iuvenes?“ sc. quid agant; tum quod illi consurrexerunt, „consurgite contra“ pergit.

Adiectivum „innuptae“ (*ἀγαυοί*) inde a Catullo saepius substantivi loco apud poëtas

<sup>1)</sup> in: Zeitschrift f. d. Gymnasialw. 1877 p. 697. Praeterea de hoc usu conferre licet Ritschelii disputationes a Baehrensi (in proleg. p. 49) allatas et Lachmanni in comment. ad Lucr. p. 313.

<sup>2)</sup> qua de re vid. L. Muelléri de re metr. p. 328 sq.

<sup>3)</sup> Cfr. Aristoph. av. 1736, Eurip. Troad. 310, Theocr. 18, 58, Plaut. Cas. IV 3, 3, alios.

usitatum invenitur, ut apud Verg. Aen. XII 24, Propert. IV 19, 25, alibi.

Monendum est hic particulam interrogativam deesse, id quod non solum apud poëtas sed etiam in oratione soluta occurrit saepius.

Codex T scripturam „consurg i cretera“ exhibet, ex qua non apte a Baehrensi restitutum est „consurgere terra“; nam haec scriptura Catulli dictione vix digna est, praeterea iuvenes virginesque non, ut supra<sup>1)</sup> adhortatus sum, per caespitem diffusi mensis accubare putandi sunt, sed in domo novi mariti. Alios qui e codicibus interpolatis „consurgere contra“ receperunt, quod nuperrime Guil. Meyerus defendere conatus est,<sup>2)</sup> iure Baehrensius reiecit: „non adolescentes“, inquit, „consurgunt contra, sed iam puellae (quamquam hoc vix mentione indiget).“ Sed scripturam genuinam V servavit („consurgite contra“), interrogationem autem „cervinitis, innuptae, iuvenes? non „omnino ineptam“ esse, ut Baehrensius vult, sed aptissimam indicat, nimirum in initio sequentis versus collocatum, quae particula docet puellas primos versus iuvenum non audisse, nunc autem cum pueros consurrexisse viderint, stellam vespertinam conspiceret; quae sententia versu 8 „sic certe est“ confirmatur.<sup>3)</sup>

**v. 7.** „Oetaeos ignes“: ab Oeta monte poëtas libenter orientia sidera finxisse permulti loci ostendunt, ut Verg. ecl. VIII 30, Cul. 203; Senec. Her. f. 133 et Herc. O. 861 sq., alii loci, quos Ellisius et Baehrensius contulerunt, quibus addi potest Lygdami (Tib.) III 4, 21 „Phoebus prospexit ab Oeta“ (ubi Marklandus videndus est).

„Ignes“ pro tradita scriptura „imbres“ codicis T vel „imber“ codicis V feliciter iam Italos restituisse aperte docet Hor. c.

<sup>1)</sup> Part. I p. 11.

<sup>2)</sup> in: Sitzgsber. d. bayr. Acad. d. Wiss. 1889 II 2 p. 250 sq.

<sup>3)</sup> Cfr. praeterea Pleitnerum l. l. p. 64 sq.

III 29, 17 „iam . . . pater ostendit ignem“. Similiter aliis quoque locis (cfr. Tib. I 1, 48) „igne“ et „imbre“ confusa esse F. Handius ad Gronovii diatr. in Stat. silv. I p. 435 adnotavit. Minus collaudandi sunt ii qui, ut Stautius „umbras“, quod iam I. Vossius (l. l. p. 150) reiecit, Pleitnerus denuo defendit, vel cum Bergkio (Philol. XII 581) „umbreis“ similiaque coniecerunt. De plurali denique „ignes“ vide ad v. 2.

„Noctifer“ (*νυκτοφόρος*) idem atque Hesperus est; vox ipsa videtur composita esse similiter atque vocabula „noctiluea, noctivagus, noctividus“. Praeter hunc locum id nomen apud Calpurnium solum Neronis aequalem (ecl. V 121, cfr. Baehrens. poet. Lat. min. III p. 94) inveni.

**v. 8.** „Sic certe est“, quod iam Stautius ex vitiosis librorum scripturis „certe si“ V, vel „cer tes i“ T perbene recuperavit (Hauptius et Baehrensius „sic certest“ scribunt) formula cotidiani sermonis est, qua antecedentis versus sententia confirmatur. Weberus (l. l. p. 32) autem, qui v. 8 suo arbitrio pueris tribuit, illam falso ad v. 4 refert. Simillimum locum Catullus ipse in c. 80, 7 praebet, ubi itidem per asyndeton sequentia continuantur.

In „viden ut“ i. e. videsne quomodo, ultimam syllabam — „en“ plerumque corripit Neuius<sup>1)</sup> permultis exemplis comprobatur. Quam formulam recentiores scriptores vulgo cum coniunctivo<sup>2)</sup>, vetustiores maximeque comici cum indicativo coniunxerunt<sup>3)</sup>, comp. c. 62, 8, Verg. Aen. VI 779, alios. Interrogat autem ea quae loquitur aut unam aliquam aut omnes puellas, nam „viden“ etiam ad complures pertinere posse c. 62, 8, Tib. II 1, 25, similes loci satis ostendere mihi videntur. Hic omnes virgines intellegere malim, cum

<sup>1)</sup> Formenl. d. lat. Spr. II p. 435.

<sup>2)</sup> Vide Huschkium ad Tibulli II 1, 25.

<sup>3)</sup> Cfr. Bentleium ad Hor. epist. I 1, 91.

v. 12 ‚aspicite ut‘, quod arte congruit, pluralem exhibeat.

Adverbium ‚perniciter‘, in quo gradationem quandam inesse Baehrensius opinatur, iam apud Plautum invenitur (cfr. Amph. V 1, 63).

v. 9. Verba ‚perniciter exilueret‘ (v. 8) per epanalepsin quae vocatur sequentis versus ‚non temere exiluerunt‘ excipiunt.

Proxima ‚canent quod visere par est‘ maximas praebuerunt difficultates interpretibus, ut alius aliter coniceret. Sed omnia recte se habere iam Ellisius vidit non male interpretans: quod dignum est quod respiciatur („something worth looking at“). Ac formula ‚par est‘ eodem modo usurpata est a L. Attio (in armor. iudic. v. 152) ‚huius me dividia cogit plus quam est par loqui.‘<sup>1)</sup> Minus bene alterum quadrat exemplum ab Ellisio allatum ex Hor. epist. I 15, 25 ‚scribere te nobis, tibi nos ac credere par est‘, ubi ‚par est‘ sine dubio idem atque ‚aequum est‘ valet. Visendi autem verbum, quod proprie ad oculos pertinet, etiam de ceteris sensibus usurpari posse Aeschylus verbis (Sept. 103) ‚*κτύπον δέδορα*‘ et (Sept. 554) ‚*χρῆς δ' ὀρεῖ τὸ δράσιμον*‘ Ellisius comprobare conatur affertque illud Horatii (epist. II 2, 91/2) ‚mirabile visu caelatumque novem Musis opus‘, quod non ad templum, ut Bentleius falso voluit, sed ad poëma referendum est. Meliorem interpretationis rationem Woelfflinius<sup>2)</sup> nuper iniit, qui reputans verbum principale ‚videre‘ de iis quoque dici, quae sensibus omnino percipiuntur, intensivum verbum ‚visere‘ cum accusativo coniunctum simpliciter ‚auf etwas aufmerken‘ explicat. Hunc vero usum verbi ‚videre‘ lexicographi satis multis exemplis confirmant. Conferre liceat Plauti (mil. gl.

IV 6, 44) ‚naso pol haec quidem plus videt quam oculis‘, vel Vergilianum illud (Aen. IV 490 sq.) ‚mugire videbis sub pedibus terram‘. Addas quoque Horatium, qui (sat. II 8, 78 sq.) ‚tum . . . videres stridere . . . susurros‘ dicit, atque Celsi illud (II ep. 30) ‚caseus, qui vehementior vetustate fit, vel ea mutatione, quam in eo transmarino videmus‘. Itaque cum haec exempla, quibus alia facile addi possunt, satis edoceant verbum ‚videre‘ per catachresin quam appellamus usurpatum nullam praebere offensionem, non dubito, quin Romani, quamquam nullus alius locus hunc usum illustrat, verbo ‚visere‘ quoque de aurium sensu usi sint.

Longe aliter, sed mea quidem sententia minus apte ne dicam ridicule H. Weberus<sup>1)</sup> traditam scripturam defendere conatus est. Miratur enim cum Pleitnero<sup>2)</sup>, quod nova nupta, etsi appropinquare eam in versu quarto indicatum sit, nusquam tamen advenisse dicatur, quare, ut hanc poëtae inscitiam quam dicit auferat: ‚par‘, inquit, ‚est nihil aliud nisi coniugum par novum sive maritus cum nova nupta‘, ut convertendum sit: sie werden singen, weil das Paar zu sehen ist. Sed hanc explicationem falsam esse iam exempla ab eo allata satis superque indicant. Confert enim Cic. de opt. gen. or. § 17 ‚gladiatorum par nobilissimum‘, Phil. XI 2 ‚geminum in scelere par‘, Lael. 4, 15 ‚tria aut quattuor paria amicorum‘, Ovidii met. XIII 833 ‚par columbarum‘, Hor. sat. II 3, 243 ‚par nobile fratrum‘. Qui loci omnes substantivum ‚par‘ cum attributo aliquo coniunctum exhibent, unde effici mihi videtur, ut ne hoc quidem loco vocabulum ‚par‘ tali attributo carere possit. Atque quis est qui illa in re offendat, quod novam nuptam, cum brevi ante eam esse

<sup>1)</sup> Cfr. O. Ribbeckii scaen. Rom. poes. frag. I p. 155.

<sup>2)</sup> Cfr. Archiv f. lat. Lexicogr. III 561 sq.

<sup>1)</sup> l. l. p. 33 sq. <sup>2)</sup> l. l. p. 63.

adventuram indicetur, advenire non commemoratur? Sed coniecturas, quarum in numero Itolorum „vincere“ elegantissima est, silentio praetereamus, cum Ellisii interpretatio scripturae traditae satis defendi possit; est autem convertendum: sie werden singen was des Aufmerkens wert ist.

Inde a v. 11 usque ad v. 19 iuvenum stropham sequi praeter Weberum omnes homines docti consentiunt; hic enim vv. 11—14 puellis tribuendos esse contendens versuum sententiam simpliciter et concinne propositam ita tractat, ut ea perverse evadere debeat. Primum pro vocativo illo „aequalis“ codicum T et V scribit „e qualis“. „Qualum“ autem sive „qualus“ (Graece *κάλαιος* sive *κάλαιος*) explicat vas vimineum significare, in quo staminis glomus fuis evolutus reponatur. Deinde ut allocutio, quae perspicuitatis gratia postulat et imprimis propria est bonae antiquitatis<sup>1)</sup> in strophae initio insit, versum 12 hoc modo scribit ac distinguit: „Aspicite, inuptae, secum ut meditata requirunt“. Inapte quidem, quis enim non videt eum nimis temere turbare ea quae dilucida sunt? Sed singula percenseamus. Atque „aequalis“, Graecorum *ἕλικες* (cfr. Arist. Thesm. 1030, Pind. Pyth. 3, 19) saepius de pueritiae sodalibus dictum est, ut a Pacuvio v. 114<sup>2)</sup> „hymenaeum fremunt aequales“. Vocativus pluralis autem in „is“ exiens praecipue cotidiani sermonis est, qui cum hic ab optimis codicibus et in versu 32 a libro T exhibeatur, non debet commutari.<sup>3)</sup> Itidemque in v. 3 accusativus pluralis „pinguis“ codicum T et O ex communis sermonis consuetudine petitus retinendus est.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Cfr. Ph. Buttmanni mythol. II p. 370.

<sup>2)</sup> Vide Ribbeckium l. l. p. 91.

<sup>3)</sup> Cfr. ea quae Lachmannus ad Lucr. p. 56 et Ph. Wagnerus in orthogr. Vergil. p. 404 sq. hac de re largius disputaverunt.

<sup>4)</sup> Cfr. I. Muelleri Handb. II<sup>2</sup> p. 333 sq.

„Palma“ notionem victoriae hic habet ut apud Ovidium met. VI 50, trist. II 506; apud Cic. pro Sex. Rosc. VI 17, de or. II 56, 227, III 35, 143, alibi. Simili cum translatione nos quoque Lorbeer, Kranz, Palme dicere possumus.

„Parata est“: dubitatio, quam haec codicum scriptura Baehrensio iniecit, est vana neque nobis necesse est, ut scrupulum ex eius animo evellamus, ad eas argutias confugere, quibus Weberus verba tradita defendere conatur. „Parata“ hic enim non participii, sed adiectivi locum tenet atque „nobis“ est dativus commodi qui dicitur. Omnino autem Baehrensii coniectura „paratu“ inepta est.

v. 12. „Secum meditata requirunt“ i. e. „domi perpensa ac praeparata in memoria revocant“. Eodem modo „meditata“ usurpatum est apud Ovid. met. IX 521 „meditata verba“, apud Cic. Catil. I 10, 26 „meditati labores“, apud Tac. ann. XIV 55, 1 „meditatae orationi“, alibi.

„Requirunt“, pro quo Ellisius sine causa „requaerunt“ in textum recepit, apte glossario balliolensi a L. Schwabio<sup>1)</sup> ad hunc locum relato explicatur „in memoriam revocant“. Cum hoc illud „secum“ iungendum est „sie wiederholen für sich“. Minus bene Baehrensium interpretatur: „alia ex alia quaerit, quid argumenti ad canendum excogitaverit afferatque“, hoc enim, ut Weberus iure adnotat, sero nunc fieret.

v. 13. „Meditantur“ recte intellexit Ellisius „their study is not in vain“, complectitur enim non solum notionem perfecti „meditata“, sed etiam praesentis „requirunt“. Baehrensii autem explicationem „omnes simul iam deliberare cantum aptum, auditis singularum curis, dicuntur“ ex „requirunt“ falso intellecto profluxisse apparet.

<sup>1)</sup> in: N. Jhrb. 1885 p. 803.

„Habent“ est reperere sive tenent, ut Terent. Eun. IV 4, 7 „haben hominem, amabo?“

„Memorable quod sit“ apte congruit cum versus noni verbis „quod visere par est“, neque transferendum est cum Riesio: „sie haben einen Gesang, der denkwürdig genug ist, das genaue Lernen zu lohnen“. Neque enim ediscendi sive memoriae mandandi vis in eo vocabulo inest, sed significat „aliquid hominum notitia ac memoria dignum“, cfr. Graecorum *ἀξιωματόνευρον*. Pronomen denique „quod“ Catullus saepius postposuit, ut in proximo versu, c. 51, 5; 64, 8; 66, 216; 67, 21; aliis locis.

De integritate versus **14** a codice T solo servati iam superiore anno disputavimus (vide part. I p. 9), ac de omisso verbo „est“ in formula „nec mirum“ cfr. v. 3.

„Nec (neque) mirum“, Germanice kein Wunder, quae formula quasi parenthetice inseritur, cum sequentibus coniungitur aut particula „nam“ velut in c. 23, 7; 69, 7; Cic. Acad. II 19, 23, aut asyndeto quod vocant explicativo ut in c. 57, 3<sup>1)</sup>, aut pronomine relativo quod causam significat, ut sequens sententia proxime antecedentem explicet aut confirmet. Conferas plane congruens huic loco illud Ciceronianum<sup>2)</sup> „domum suam istum non fere quisquam vocabat — nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset“.

Cum hoc pronomine relativo coniunctivus vulgo coniungitur, quare hic quoque expectaverunt nonnulli interpretes „laborent“, nam „quae“ idem atque „cum eae“ vel „quippe quae“ valet. Sed retinendum est traditum „laborant“, nam, ut Draegerus (II<sup>2</sup> p. 534 sq.) docet exemplisque comprobatur, vetustiores scriptores post relativum causale plerumque posuerunt indicativum, cfr. Plaut.

Trin. 905, Amph. 289; Terent. Andr. 646, Eun. 1004, alios; adde quoque Catulli ipsius c. 44, 21 „qui vocat“. Neque offendi debet in eo, quod in v. 21 et 27 coniunctivus adhibitus est, cum vel in verborum contextu eiusdem generis modos commutaverint scriptores, cfr. Plaut. Men. 309 „insanit hic quidem, qui ipse male dicit sibi“ cum proxime sequenti versu 313 „tu quidem hercle certo non sanus satis, . . . qui nunc ipse male dicas tibi“, Pers. 75 cum Trin. 1057, alia. Itaque omnia recte se habent neque pro „nec mirum“ aut cum Schwabio „ni mirum“ aut cum Bachrensis „neimirus“ scribendum est, neque cum Webero, qui hunc versum inepte puellis tribuit, pro „quae“ poni debet „quom“, neque cum Leutschio<sup>1)</sup> „nam“. Postremo „penitus“ melius cum „tota“ conectendum est quam cum „laborant“, ut apud Verg. ecl. I 66 „penitus toto . . . orbe“.

**v. 15.** „Nos alio mentes, alio divisimus aures“: Verbum „divisimus“, quod in codicibus est, fulcitur loco Verg. Aen. IV 285 et VII 20 „atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc“. Italus quidam „dimisimus“ coniecerat, quod vocabulum denuo Pleitnerus<sup>2)</sup> ex Ovidii met. III 381 et VIII 188 inconsiderate recepit, nam „aures aliquo dimitti“ vix potest dici. Totam autem sententiam Riesius sic explicat: „wir hörten auf eure Worte und achteten zugleich auf eure Schönheit“; rectius Bachrensius: „nostra intentio non est tota, sed divisa, cum alibi mentes auresque nostrae versentur (sc. non in cantu meditando sed apud puellas ex adverso sedentes)“, ut „alio . . . alio“ repetitio mere rhetorica sit, qua „mentes“ et „aures“ significantur pro toto animo. Minus apta est Weberi explicatio, quae cum Ellisii sententia in universum consentit, „intentionem „divisimus“ nostram, simul enim mentes

<sup>1)</sup> Cfr. Bachrens. ad c. 23, 7. <sup>2)</sup> pro Sex. Rosc. 18, 52.

<sup>1)</sup> l. l. p. 1994. <sup>2)</sup> l. l. p. 67.

nostrae occupantur in aliis rebus i. e. in iis quae dicturi sumus, in aliis nostrae aures i. e. in iis audiendis, quae puellae cantant“, quod cum hac interpretatione neque antecedens „tota mente“ neque subsequens „iure igitur vincemur e. q. s.“ bene congruit. Quare in Baehrensii sententia acquiesco.

**v. 16/17.** Ad v. 16 cfr. Ciris 55 „amat Polyhymnia verum“.

„Cura“ esse illud ipsum „tota mente“ laborare Baehrensii recte adnotat apteque proximi versus „saltem“ cum „nunc“ iungit et explicat „in summo victoriae periculo“; ita enim verba conectenda esse, non, ut Ellisio placet, „animos saltem“, aut „saltem convertite“ cum Leutschio optimo iure Schulzius<sup>1)</sup> monuit.

„Convertite“ codicis T (V exhibet „committite“) inde a M. Hauptio<sup>2)</sup> plurimis probatum est atque facillime id subauditur, ad quod animos intendere debeant iuvenes i. e. „ad rem“, quod Riesius recte supplet comparans illud simillimum Lucretii IV 1064 „alio convertere mentem“. Idem sensit Baehrensii, sed illud „saltem“ ex glossa aliqua provenisse suspicans „ad rem“ ex illo restitui temere vult, neque enim „saltem“ in omnibus codicibus servatum commutari debet. Notio autem convertendi melius respondere notioni dividendi (v. 15) mihi videtur quam illud „committite“ a V praebitum, quod iusto sensu carere Baehrensii et Riesius iure monuerunt. Neque collaudare possum Weberum, qui „committite“ e „eos“- (non „com“-) et „mittere“ compositum esse et significare „in unum duas res separatas iungere“ affirmat, nam haec significatio nova est neque alibi exstat. Verum et huius loci sententiae aptissimum est „convertite“.

<sup>1)</sup> l. l. p. 703. <sup>2)</sup> in: quaest. Cat. p. 28.

A versu 20 hymenaeus sive carmen amoebaeum capit initium: in prima stropha Hesperii crudelitatem vituperant puellae, laudant eius gratiam in antistropha pueri.

**v. 20.** „Quis caelo fertur crudelior ignis?“ Pronomen „quis“, cum meliori codici debeamus (V exhibet „qui“), hic et in v. 26 retinendum est. „Ignis“ idem est ac stella vel sidus velut apud Horat. c. I 12, 47 „ignes minores“.

Verbum „fertur“ est Germanice bewegt sich, eilt, quem usum lexicographi permultis exemplis tuentur, cfr. quoque c. 58<sup>b</sup>, 2, c. 63, 58 et 68; „caelo“ autem est ablativus loci qui dicitur.

**v. 21.** „Qui . . . possis . . . complexu avellere matris“, „qui“ sententiam explicat, quae in antecedenti versu inest i. e. du bist das grausamste Gestirn vel es giebt kein grausameres Gestirn als dich, da du ja . . ., itaque coniunctivus sequitur „possis“ h. e. animum inducere potes, ut . . ., velut apud Verg. Aen. IX 482 „potuisti linquere solam“ et infra in c. 68<sup>b</sup>, 1. Quare prorsus inutilis est Th. Bergkii coniectura „patuit“<sup>1)</sup>.

„Complexu“ hic et in v. 22 tradit T, V praebet „complexu“; de compositione „np“ et „mp“ vide I. Muellerei l. l. p. 312. Atque „complexu avolsus Iuli“ scripsit Vergilius Aen. IV 616.

**v. 22.** De conexu versuum 21 et 22 (complexu matris retinentem avellere natam) dubitaverunt homines docti. Atque primum, cum in priore versu filia a complexu matris avellatur, exspectarunt in versu posteriore dici matrem avelli a filia. Quod tametsi non satis accurate a poeta expressum est, tamen facile subintellegi potest, si recte interpretamur „retinentem“; nam ad hanc vocem non „se“ supplendum est, sed „complexum matris“; cfr. c. 64, 116 sq. „sed

<sup>1)</sup> Cfr. Rossbachii edit. praef. p. XI.



quid . . . commemorem, ut linquens genitoris filia vultum, ut consanguineae complexum, ut denique matris“; ubi Ariadne „liquisse“ dicitur consanguineam et matrem, quae complexu eam retinebant. Itaque tautologia quam appellamus vere hoc in loco non inest omnesque coniecturae supervacaneae sunt. Conieciant autem, ut alios omittam, Froehlichius Gronovium secutus „complexu natae retinentem avellere matrem“, Bachrensium „retinente“, ut „natam“ commune obiectum esset, Weberus „complexum“, quae coniecturae quamquam speciosissimae videntur esse, tamen, cum verba tradita satis defendi possint, repudiandae sunt.

**v. 23.** „Iuveni ardenti“ idem est ac c. 61, 177 „pectore uritur intimo flamma“ vel ibidem v. 56 „fero iuveni“. „Donare“ est dedere ut in c. 61, 58 et apud Ovidium am. I 3, 12 „me qui tibi donat Amor“.

**v. 27.** „Tua flamma“, quod versu 29 explicatur, Riesius recte „durch dein leuchtendes Erscheinen“ interpretatur. „Firmes“ hic idem quod vulgo „confirmes“ significat, i. e. „rata facias“; similiter simplex compositi vice fungitur in c. 36, 1; 37, 10; 38, 5.<sup>1)</sup>

„Conubia desponsa“: Donatus adnotat ad Terent. Andr. I 1, 75 „spondet puellae pater, despondet adolescentis“ et ad Adelph. IV 7, 16 „despondet puellam qui petit, spondet a quo petitur“; quam distinctionem non semper diligenter observatam esse ostendit illud Varronis (de l. l. VI 70) „qui sponderat filiam despondisse dicebatur“, ubi et simplex et compositum verbum de puellae patre usurpatum est, atque apud Cic. ad fam. VIII 7, 2 etiam de iuvene despondendi verbum adhibitum invenitur; hoc loco „desponsa“ voce in universum de utrisque partibus usus est Catullus, ut Terentius in Andr. V 6, 16 („intus despondebitur“).

<sup>1)</sup> Cfr. Draeger. I 136 sq.

**v. 28.** Versus 28 „quae pepigere viri, pepigerunt ante parentes“ „superfluus paululum et magis ob strophae aequabilitatem adiectus“ a Bachrensi iniuria habetur. Nam cum, ut Weberus commode disserit, puellae modo questae sint, quod filia a matris complexu crudeliter divelleretur, iam huic crimini ita occurrunt iuvenes, ut id more legitimo et cum parentum assensu fieri affirmant. Quod ut perspicue et distincte dicatur, legitima nuptiarum institutio illustratur tribusque versibus 27—29 refutantur ac diluuntur crimina trium priorum 21—23.

„Pepigere“ et „pepigerunt“ tantum metri causa dicit poeta, ut Vergilius (ecl. 10, 13 sq.) „flore“ et „fleverunt“, Lucilius (apud Gell. noct. Att. XVI 9) „fuerunt“ et „fuere“; cfr. Hor. epist. II 1, 159, Mart. ep. I 103, 4. Pangendi autem verbum „rhetorice repetitum“ esse Bachrensium statuit, qui vocibus „viri“ et „parentes“ notari novum maritum et puellae patrem optimo iure censuit; primum enim de marito usitatum est vocabulum „vir“ (cfr. v. 58), deinde non raro in cognationis nominibus pluralem usurpatum esse Kuehnerus (II p. 63, 8) docet. Alii „viri“ patrem mariti et puellae patrem atque „parentes“ utrumque parentum par esse (cfr. Riesii edit.), alii „viri“ idem quod „parentes“ i. e. Väter significare minus recte putant. Weberus autem pluralem „viri“ item usurpari sicut plurali „conubia“ totum eius notionis genus significari, non unum aliquod tantum vel hoc, de quo agatur, conubium, ut soli mariti intellegendi sint, non apte sentit, quia credibile non est poetam in universum de conubiis loqui.<sup>1)</sup> „Ante“ denique non solum ad „parentes“ sed etiam ad vocem „viri“ spectare Riesius censet, Bachrensium suppleri vult „sponsalia“, qua de re part. I p. 16 egimus.

<sup>1)</sup> Nuperrime non male K. P. Schulzius (Progr. Berol. 1898 p. 8) docuit „viro“ esse patrem puellae et mariti et „parentes“ significare illorum matres.

„Iunxere“ sc. conubia, ut Catullus „iuga“ (c. 63, 76) et „amores“ (c. 78, 3) iungere ac Stautius silv. 3, 4, 54 „taedas iunxerat“ dixerunt. Atque intellegendi sunt, ut modo vidimus, vir et novae nuptae pater, de quibus pariter „conubia iungere“ dici posse nonnullis locis Bachrensius confirmat afferens Cic. de or. I 9, 37 „Romulus ille . . . Sabinorum conubia coniunxit“, Liv. IV 1, 1 „de conubio patrum et plebis“, Ovid. met. VI 428 „quem (Terea) sibi Pandion . . . conubio Prognēs iunxit“.

„Se extulit ardor“ similiter de sideribus orientibus dicitur a Verg. Aen. VIII 591 „Lucifer extulit os sacrum caelo“ et IV 119 „ortus extulerit Titan“; ab Ovid. fast. II 149, aliis.

„Ardor“ est fulgor ut apud Verg. Aen. X 273 „Sirius ardor“ aut apud Cic. de div. I 11, 18 „claro tremulos ardore cometas“.

**v. 30.** Praepositio „a“ ante „divis“, quam librarius codicis T falso omisit, ex V restituenda est.

„Optatius“ saepius apud Ciceronem invenitur, cfr. div. in Q. Caec. 3, 7, alios.

„Hora“ hic tempus significat, quo maritus cum nova nupta coniungitur, non deam Horam, de qua Boninius (l. l. p. 18) cogitat.<sup>1)</sup>

Versus **32** unus restat ex altera virginum strophā; ex hoc et e versibus 33—38 de amissorum versuum sententiis certius iudicare licet. Atque ut aliorum sententias, quas part. I p. 14 sq. protuli, nunc omittam, rectissimam coniecturam fecisse mihi videtur M. Hauptius<sup>2)</sup> haec statuens: Auf Hesperus e nobis . . . folgte eine anklage des Hesperus als eines diebes oder räubers: so begreift es sich, wie die Jünglinge in der darauf antwortenden strophe auf die diebe kommen. „Dich, Hesperus, nennen sie einen räuber?“

<sup>1)</sup> Cfr. Hor. epist. I 4, 14; 11, 22; Lygd. (Tib.) III 3, 26.

<sup>2)</sup> in: op. I p. 35 adnot.

du bist es ja gerade, vor dem diebe und räuber sich am meisten scheuen müssen“. Idem fere Weberus (p. 50 sq.) sentit, qui praecipue redarguit sententiam Bachrensii et Ellisii opinantium a puellis potissimum amatores cupidos et clandestinos perstringi. Tales cogitationes ab huius certaminis veracundia et simplicitate omnino absunt. Apparet autem e versibus 32 et 36 virgines paulo acrius quam in prima strophā de Hesperii iniquitate queri<sup>1)</sup>. Iam vero ad singula trans-eamus. „Abstulit“ Bachrensius interpretatur „rapuit“. De „aequalis“ cfr. v. 11. Versum ipsum integram esse omnes homines docti nunc consentiunt praeter Weberum, qui „nimum amator ingenii sui“ scripsit: „Hesperus e nobis aequalem si abstulit unam“, quam coniecturam, cum maxime abhorreat ab optimorum librorum scriptura, neglegere possumus.

Versibus 33—37 pueri puellarum questum argutiis elevant.

**v. 33.** „Tuo adventu“ ad Hesperum pertinet. „Custodia“ pro concreto „custodes“ positum est ut apud Verg. Aen. VI 574, IX 166, alibi, neque vero quidquam amatorii subest minimeque cum Ellisio „canes“ intellegendi sunt.

**v. 34 35.** „Nocte latent fures“: „nocte“ dicitur cum vi multa oppositionis, ut Bachrensius bene adnotat. Cfr. Hom. *Γ* 11 *δμίχλην . . . κλέπτει δέ τε νυκτὸς ἀμείνω*, Hor. ep. I 2, 32 „surgunt de nocte latrones“. Similiter dixit Ovidius a. a. I 249 „nocte latent mendae“.

„Quos idem saepe revertens, . . . comprehendis . . . Eous“: Hesperum et Luciferum idem esse sidus iam veteres scriptores permultis locis commemoraverunt (vide part. I p. 14). Adverbium „saepe“, pro quo Froehlichius sine ulla causa „mane“ scribi vult, ad

<sup>1)</sup> Cfr. quoque Leutschium l. l. p. 1933.

„comprendis“ spectat neque coniungi potest, id quod quidam fecerunt, cum participio „revertens“, nam semper Hesperus revertitur, sed „saepe“ tantum fures „comprendit“. Pro verbo „comprendis“, quod facillime ex codicis T „comperendis“ restitui potest — eadem vox sub ceterorum librorum scripturis corruptis latet — Baehrensium, cui Riesius astipulatur, „deprendis“ poni vult, quod „comprehendere“ apud bonos quidem scriptores in his rebus amatoris pro „deprehendere“ usitatum non sit; sed iniuria, neque enim quidquam de clandestinis amoribus cogitare nos cogit (cfr. p. 12<sup>b</sup>). Porro „Eous“ I. Schraderi (emend. 15) non speciosa tantum est coniectura sed verissima emendatio et loco corrupti „eospem“, quod codex V exhibet (T „eospem“ tradit) et editores minus cauti, ut Schwabius et Ellisius, posuerunt, in textum recipienda. Etsi enim repetitio eiusdem vocabuli („idem“ — „eospem“) non plane ab usu Catulliano (cfr. c. 4, 6/7 „negat — negare“, 45, 20 „amant — amantur“, 61, 19 „bona cum bona“, similia) abhorret, tamen Pleitnero (l. l. p. 70) concedendum est verba „mutato nomine“ flagitare, ut alterum Hesperii nomen afferatur; praeterea, ut Baehrensium recte animadvertit, furum notio non urgenda est, id quod pronomine „eospem“ fieret. Neque „idem — eospem“ loco ex Iuvenale (VII 153) allato hoc: „Nam quaecumque sedens modo legerat, haec eadem stans perferet, atque eadem cantabit versibus isdem“ confirmatur, neque huc pertinet illud Ciceronis (pro Sest. IV 9), quod Ellisius affert: „eidem homines nomine commutato coloni decurionesque“, sed in comparisonem vocandus est aequalis et amicus Catulli C. Helvius Cinna, qui (in frg. 8, ed. Muellerei p. 88) Zmyrnae errabundae angores et sollicitudines describens haec dicit: „Te matutinus flentem conspexit Eous, et flentem paulo vidit post Hesperus idem“. Quod denique ad codicis T corruptam scripturam

„eospem“ attinet, cum Leutschio (l. l. p. 1980) contendere possumus „pem“ in fine versus falso positum ad mendose exaratum verbum „comperendis“ referendum esse ac sub „eos“ latere alterum Hesperii nomen „Eous“; quae vox, cum prima syllaba brevis sit, a Graeco *ἔωος* derivanda est.

**v. 36.** Vetustiore formam „at lubet“ plurimi editores ex corrupto „adlucet“ codicis T pro „at libet“ libri V receperunt. Perbene explicat Baehrensium: „verum enim vero non ita sentiunt puellae, quae amant ita tegere pectoris desideria“.

„Ficto . . . questu“, cfr. c. 66, 16 „falsis lacrimulis“ et v. 18 „non vera gemunt“; Ovid. met. VI 565 „gemitus fictus“.

„Carpere“ Germanice schmähen ut apud Ovid. ex Pont. III 1, 64, alibi.

„Quid tum, si“ was ist denn dabei, wenn? was that's, wenn? (Cfr. Seyfferti schol. Lat. I § 46 et 65), ut apud Verg. ecl. 10, 38, Grat. 525. Ceterum in phrasi „quid si“ indicativum esse orationem affirmantis, subiunctivum optantis tantum vel metuentis Bentleius ad Hor. ep. I 16, 8 adnotat. „Requirunt“ i. e. optant, cfr. Tib. I 1, 41, Senec. Med. 73.

T exhibet „tacita quema“, V „tacita quam“, quae scripturae quin ex male intellecto archetypi „tacita quem“ fluxerint dubitari nequit, atque emendandum est „tacita quem mente . . .“, non cum Baehrensio (I praef. p. XLIII) „tacita a! quem . . .“; mihi quidem haec interiectio videtur prorsus supervacanea esse.

„Quem“ denique Ciris vv. 51 et 52 tulerunt hi: „quem pavidae alternis fugitant optantque puellae Hesperium vitant . . .“<sup>1)</sup>

Inde a versu 39 usque ad versum 58<sup>b</sup> sequitur tertium certaminis par stropharum pulchras e vita rustica petitas imagines

<sup>1)</sup> Cfr. Leutschium l. l. 1980.

continens, quas saepe imitati sunt recentiores poëtae.

**v. 39.** Qui in harum stropharum initio accuratissimam inesse responsonem volent, iis in versu 39 „ut flos in saeptis secretus nascitur hortis“ comparato cum versu 49 „ut . . . vitis quae nascitur arvo“ Spengelio auctore<sup>1)</sup> inter „flos“ et „in saeptis“ pronomen „qui“ ponendum erit, neque enim sententia relativa „quem mulcent aurae . . .“ (v. 41) respondet illi „quae nascitur arvo“, ut Riesio falso visum est. Sed cum credibile non sit poëtam id egisse, ut verbum cum verbo congrueret, codicum scriptura retinenda est; eandem ob causam Baehrensii quoque coniecturam „flos si in“ accipere non possumus; grammaticae autem structurae rationem satis apte exploravit eiusque integritatem multis exemplis stabilivit Weberus (p. 62 sq.). Atque cum ratio, qua sententiae inter se excipiunt, facile perspicitur, parenthesis quoque signa, quibus Lachmannus, Hauptius, alii et versus 42—44 et versus 53—55 a reliqua oratione separaverunt, cum Vahleno, Schmidtio, aliis remove possumus.

„Secretus“ explicatur addito „in hortis saeptis“, sc. ad quos aditus communis non patet (v. Baehrensium). Deinde verbo „nascitur“ hic et in v. 49 non solum oriendi sed etiam crescendi vim subiectam esse I. Vahlenus (Hermae XV p. 270) recte docuit, quam vim nos nisi verbo wachsen reddere non possumus.

**v. 40.** In voce „ignotus“ Baehrensium, qui „non ictus“ inconsiderate coniecit, iniuria offendit, nam hoc loco „ignotus“ similiter dictum est atque „incognitus“ apud Verg. Aen. XII 414 „non illa feris incognita capris gramina, cum tergo volucres haesere sagittae“ i. e. caprae ferae illa gramina (sc. dictamnum) quaerunt, cum venenatis sagittis confixae sunt; vide Cic. de nat. deor. II 50.

<sup>1)</sup> Cfr. Seebode, Archiv f. Phil. u. Paed. 1828 III 4 p. 101.

„Convolsus“ codicis T multo gravius est quam „contusus“, quod ex corrupto libri V „conclusus“ recentiores correctores fecisse veri simillimum est. Sed conferas c. 64, 40 „glabam convellit vomere taurus“.

**v. 41.** „Mulcent aurae“: similiter dixerunt Ovidius met. I 108 „mulcent zephyri flores“, Propertius V 7, 60 „mulcet aura rosas“, alii. „Firmat sol“ est „calore suo robur addit“. „Educat imber“: cfr. Callim. hym. 4, 84 *δράς ἄμβρος ἀέξει*.

Post hunc versum interiit versiculus (v. part. I p. 9), neque enim, si hoc loco lacunam statuimus, versum 41 ante v. 40 poni cum Froehlichio, neque quidquam in v. 39 commutari omnino necesse est.

Versus 42—44 imitatus est Ovidius met. III 353 sq., cfr. quoque Verg. Aen. VII 54 et XI 581.

**v. 42.** „Optavere“ et hic et in v. 44 (itemque in vv. 53 et 55 „coluere“) est perfectum consuetudinis quod grammatici dicunt, quo imprimis poëtae optimi exprimere Graecorum aoristum gnomicum studuisse videntur.<sup>1)</sup>

Versus 43 et 44, quos omiserunt OT, habet G (et M = codex Venetus bibliothecae S. Marci saec. XV.), ut F. Schoellius<sup>2)</sup> suspicatus est, e margine codicis V petitos, in textum sine ulla dubitatione receperunt omnes editores. Interpretationis neuter ullam praebet difficultatem nisi quis cum Pleitnero et Webero in verbo „carptus“ offendit, pro quo ille (l. l. p. 76—78) „tactus“ substitui vult, hic „scalptus“. Debet autem non laesus flos intellegi, sed decerptus vel, ut Baehrensium explicat, „abiectus in terra

<sup>1)</sup> Cfr. ea quae de hoc usu Draegerus (I<sup>2</sup> p. 253 sq.), Kuehnerus (ausf. Gr. der lat. Spr. II p. 100 sq.), Madvigius (opusc. II p. 115 sq.) longius disseruerunt. Vide quoque Bentleium ad Hor. c. III 23, 19 „mollivit aversos Penates“.

<sup>2)</sup> in: nov. ann. 1880, 121 p. 490.

iacens, quem iam nolunt pueri puellaeque“. Neque est, cur ad vocem ‚ungui‘ (i. e. digito) epitheton ‚tenui‘ offendat, quod minime inane esse mihi videtur; similiter ‚tenui ungui‘ dixit Ovidius epist. 4, 30. Totum autem versum tuetur Propertii illud (I 20, 39) de Hyla: „decerpens tenero pueriliter ungui . . . florem“; atque afferri potest ex Anthol. Lat. I 253, 55 (ed. Riesii) „haec modo purpureum decerpens pollice florem cum delibuto suspiria ducat odore“, cfr. quoque Verg. Aen. XI 68. Coniecturae autem Pleitneri et Weberi nihil aliud efficiunt, nisi ut insolens ineptaque aequabilitas rerum et verborum restituatur, quam poëta minime in mente habuit.

‚Idem‘ in initio versus collocatum vicibus fungitur particulae adversativae ‚at‘ vel ‚contra“, veluti apud Ciceronem Tusc. II 27, 65.

In versu 45 codices TV exhibent: ‚dum . . . tum‘, atque in versu qui respondet 56 V praebet ‚dum . . . dum‘; sed ‚tum‘ mendose pro ‚dum‘ scriptum esse docet Quintilianus, qui versum 45 citans (inst. or. IX 3, 16) exponit: prius ‚dum‘ significat „quoad“, sequens „usque eo“, i. e. quamdiu — tamdiu. Eodem modo homines docti optimo iure duplex „dum“ restituerunt in Plaut. Truc. II 1, 21 „dum habeat, dum amet“, quo loco itidem alterum ‚dum‘ in ‚tum‘ corruperunt librarii.<sup>1)</sup> Est autem similem in modum correlative compositum illud Vergilianum (ecl. VIII 41): „ut vidi ut perii“, aut ut repetamus exempla a Graecis poëtis, in Hom.  $\Xi$  294  $\acute{\omega}\varsigma \delta' \dot{\iota}\delta\epsilon\nu$ ,  $\acute{\omega}\varsigma \mu\nu \dot{\epsilon}\rho\omega\varsigma . . . \acute{\alpha}\mu\phi\epsilon\kappa\acute{\alpha}\lambda\nu\psi\epsilon\nu$  (cfr. A 512, T 16, Y 424), aut apud Theocr. (III 42)  $\acute{\omega}\varsigma \dot{\iota}\delta\epsilon\nu$ ,  $\acute{\omega}\varsigma \acute{\epsilon}\mu\acute{\alpha}\nu\eta$ . Itaque vertendum est: so ist die Jungfrau, so lange sie unberührt bleibt, so lange den Ihrigen wert. Neque quisquam Ellisium collaudabit, qui ex antecedentis versus ‚optare‘ repetens „optata est“,

<sup>1)</sup> Cfr. Fleckeisen. in ann. suis a. 1870 p. 648 et Savelsberg. in mus. Rhen. XXVI p. 135.

ut „sic virgo optata est“ sententia principalis sit, cui adiungantur duae secundariae „dum . . . manet, dum . . . est“, explicavit „so is the virgin desirable while she remains unprofaned, while she is dear to her kinsmen“. Quam interpretationem falsam esse etiam versus 56 docet, qui nisi ex Quintiliani explanatione intellegi nequit. ‚Suis‘ i. e. propinquis ut in c. 61, 51.

v. 46. ‚Castum florem‘ idem est ac „florem castitatis“; eandem metaphoram in c. 17, 14; 64, 401, alibi invenimus.

‚Polluto corpore‘ non accipiendum est de „inconcessis hymenaeis“, sed gravissime dictum est pro „cum marito suo se tradidit“.

v. 49. ‚Ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo‘: Falso is qui codicem Texaravit pro ‚ut‘ scripsit „et“. ‚Vidua vitis‘ est „marito sive arbore sustentante carens“. Vites enim vinitores Italici arboribus imprimis ulmis et populis adnectebant, ut iis erigerentur. Has arbores vites claviculis suis quasi manibus amplectebantur, quare veteres poëtae hanc vitis cum arbore iuncturam praeclara matrimonii imagine adhibita celebrabant earumque complexus aptissime ad coniugium transferebant. Itaque vitem arbori non adnexam Catullus eodem iure nominat „viduam“, quo alii poëtae arbores, ad quas non alligatae sunt vites, appellant „viduas“, veluti Hor. c. IV 5, 30, Iuv. VIII 78, Mart. ep. III 58, 3, alii.

‚Nudo‘ sc. arboribus ut conexus indicat. Similiter ‚nudus‘ absolute positum est apud Verg. ecl. 1, 47 „lapis nudus“ sc. caespite.

In versu 50 haec: „numquam se extollit, numquam mitem educat uvam“ codicem G (et M) secuti editores recte restituerunt pro libri T corruptissimis verbis: „extollit quam muniteam ducat uvam“. ‚Educat‘, ut in v. 41, nostrum est ernährt, bringt zur Reife velut apud Ovid. ex P. I 3, 51 „ager . . . non educat uvas“.

v. 51. „Prono deflectens pondere“: Removenda est codicis T falsa scriptura „perdeflectens“ et substituenda libri V „deflectens“. Cfr. Cic. de senect. XV 52 „vitis quae natura caduca est et, nisi fulta est, fertur ad terram“, et Ciris 26 „prono gravidum provexit pondere currum“, alios.

In versu 52 inversio quaedam inest, pro „contingit summum radice flagellum“ exspectes potius „contingit summo radicem flagello“ i. e. eiuncido sarmento (cfr. Varron. de re rust. I 31, 3) humo serpenti vitis iam radicem, quae sub ipso solo porrigitur, contingit.

Versus 53 et 55 vulgo leguntur hoc modo: „hanc nulli agricolae, nulli coluere iuveni“ et „multi illam agricolae, multi coluere iuveni“. Voce „iuveni“, quam et T et V retinuerunt, boves significantur, qui agricolae aratrum vehentes circum vitem ablaqueant humum, itaque vel maxime vitem „colunt“,<sup>1)</sup> atque, ut Riesius adnotat, colunt iuveni, quod iis vitis ulmis adminiculata umbram praebet. Denique rem ipsam ita se habere, ut codices tradunt, locus ille Vergilii (georg. II 357) explicat: „Flectere luctantis inter vineta iuencos“. Qua de causa omnes coniecturae supervacaneae reiiciendaeque sunt. Coniecerat autem Riesius (Jhrb. f. Phil. 1865 p. 303) „bubulei“, quam vocem a L. Muellero in textum receptam postea ipse in editione sua repudiavit. Baehrensium „coloni“ substituit, Weberus cum Pleitnero scripsit „nullae coluere iuvencae“ et „multae coluere iuvencae“ i. e. „agricolarum vel uxores vel filiae“. Sed codicum „iuveni“ retinendum est neque responsionis aequabilitati nimis tribuendum est.<sup>2)</sup> Porro codex T in versibus 53 et 55 „multi acoluere“ exhibet, sed errore scribae in versu 53 „multi“

pro „nulli“, quod V recte servavit, positum esse satis apparet. Liber G in v. 53 tradidit „coluere“ (fuerat ut Schwabius in apparatu critico adnotat „colluere“) et V in v. 55 habet „accoluere“. Sed vitium sane inest in verbo accolendi, nam quomodo possunt iuveni vitem accolere? Quare Ellisio minime assentiendum est, qui codicis V „accoluere“ retinuit et vocibus „till about“ explicavit, quam notionem nusquam habet accolendi verbum. Unice quadrat „coluere“ [„vitem colere“ Cicero (de fin. IV 14, 38) et Gellius (XIX 12, 7) scripserunt], quod iam Itali utrobique recte restituerunt. Eos autem qui cum Silligio „ac coluere“ scripserunt, in una parvula voce quattuor errores commisisse accurate M. Hauptius (op. I 107 sq.) disputavit. Maximeque respiciendum est hanc copulativae coniunctionis traiectionem ab usu Catulli prorsus abhorre. Sed vitium ortum est aut, ut Hauptius opinatur, ex prisco more scribendi „multei (nulli) coluere“ aut potius, ut Baehrensio videtur, in archetypo „a“ pro „co“ primitus falso scriptum fugit correctoris delentis diligentiam.

v. 54. De imagine versu 54 „at si forte eadem est ulmo coniuncta marita“ expressa ea conferenda sunt quae ad v. 53 disputavimus. Verbo autem maritandi significabatur coniunctio vitis cum arbore effecta, vide Serv. ad Verg. geor. I 2, Hor. epod. 2, 10, alios. In hoc matrimonio uxoris partes sustinet tenera vitis (cfr. Plin. nat. hist. XIV 1, 10 vites „in Campano agro populis nubunt“), viri robusta arbor, unde et „marito“ i. e. tamquam marito, quod codex V exhibet (de nonnullarum arborum genere masculino cfr. Ellisium), et „marita“ h. e. ut marita, quae est codicis T scriptura, recte dici potuit, sed cum T maiorem habeat auctoritatem, „marita“ praefero atque repudio coniecturam „maritae“ ab Heinsio commendatam et a Webero denuo prolatam, utpote quae nullo

<sup>1)</sup> Cfr. H. Magnum, Zeitschr. f. d. Gymn.-W. 1878 p. 502.

<sup>2)</sup> Praeterea cfr. Fr. Schoellium l. l. p. 490.

codice confirmetur; praeterea non ulmi, sed vitis notio praedicanda est.

„Ulmus“ attributo omnino non eget, id quod Baehrensius parum intellexit, cui Ramlerus egregie pro „forte“ codicum coniecisse videtur „forti“ i. e. robustae; quam sententiam Weberus ex congruenti versu 43 acute refellit. „Forte“ enim respondet notioni vocis „carptus“, itaque sicut non necesse est eum florem ungue carpi, sed si carptus sit, marescere, item viti si forte escendit ad ulmum applicata, longe alia obtingit sors atque illi viduae: haec negligitur ab omnibus omnique caret cultu, illa cum cura tractatur.

In versu 56 „sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit“, quem versum omnes fere docti incolumem putant, corrupta esse duo vocabula censet Weberus vir ille novarum rerum cupidissimus. Is enim sine ulla causa haeret in verbis „intacta“ et „senescit“, pro quibus Pleitnerum sequens contra omnium codicum auctoritatem legi vult „innupta“ et „suis est“. Ac primum „intacta“ hic idem significat atque illud versus 45, deinde cum et praecedentibus verbis „coniuncta marita“ et insequentibus „cum par conubium adeptus est“ opponatur, iuvenes non solum de integritate virginis sed etiam de conubii sorte cogitasse apparet. „Inconcessum autem hymenaeum“ minime intellegendum esse totius carminis verecundia et simplicitate affirmatur.<sup>1)</sup> Iam quod Quintilianus (l. l.) dicit „Catullus in epithalamio: dum innupta manet, dum cara suis est...“, id neque ad versum 45 hunc: „sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis est“, neque ad v. 56 conferri potest. Illic enim „intacta“ perbene se habet, nam si „innupta“ dixissent puellae, quam ineptum esset illud „dum cara suis est“, statim apparuisset (cfr. Baehrensium), hic autem „innupta“, etsi

<sup>1)</sup> Cfr. ea quoque quae de vv. 46 et 35 disputavimus.

perbonum praebet sensum, propter sequentia verba „dum inculta senescit“ reponi non debet. Quare quin Quintilianus negligentia quadam memoriae notiones affines confuderit non dubitaverim.

Perversae igitur sunt sententiae Lindei,<sup>1)</sup> Weberi, aliorum, qui illud „innupta“ in v. 56 receperunt. Tum exitus versus „inculta senescit“, qui omnium codicum consensu defenditur, dubitationem non debebat afferre Webero, qui cum Pleitnero substitui vult „inculta suis est“. Summa enim sententiae non in verbo senescendi, sed in notione „inculta“ posita est totaque enuntiatio apte congruit cum illa „cara suis est“. Neque necessarium est poëtam dicere, cui vel a quo sit inculta virgo. Recte vero explicat Baehrensius „tamquam ager desertus fructus non profert, sine usu et honore fit anus“. Eodem fere modo dictum est a Sophocle: *γεῦ τῆς ἀνύμφου δνσιόρου τε σῆς τροσῆς* (Electr. 1183) et *χέρσους φθαρήναι κἀγάμους ἑμᾶς χρεῶν* (Oed. reg. 1502), maximeque ab Aristophane (Lysistr. 593): *περὶ τῶν δὲ κοροῶν ἐν τοῖς θαλάμοις γιρασκονσῶν ἐνιῶμαι*. De duplici denique „dum“, quod hic saltem codex V retinuit, videndus est versus 45.

v. 57. „Par conubium“ est nostrum ebenbürtige Ehe, cfr. Aeschyli (Prom. 901) *ἰμαλὸς γάμος* et (v. 890) *τὸ κηδεῖσαι καὶ ἔαντὸν ἀριστέει μακροῦ*, Ovidii (her. 9, 29 sq.) „quam male inaequales veniunt ad aratra iuveni, tam premitur magno coniuge nupta minor... siqua voles apte nubere, nube pari“, alios.

„Mature tempore“ i. e. ea aetate, qua virgo ipsa est, ut Vergilii verbis (Aen. VII 53) utar, „iam matura viro, iam plenis nubilis annis“.

In initio versus 58: „cara viro magis et minus est invisae parenti“, codices T V

<sup>1)</sup> Cfr. „emendatiunculas“ eius in Hermae XXV p. 639 sq. nuperrime prolatas.

„cura“ tradiderunt, sed cum hac voce recepta „maior“ exspectetur, iam Itali recte substituerunt ‚cara‘, quod praeter Pleitnerum omnes comprobaverunt. Mox ‚parenti‘ non significat ‚matri‘, ut Webero placuit, sed ‚patri‘ (cfr. v. 28 ‚parentes‘), ‚hic quippe ut is qui totam familiam sustentat peculiari sane mentione dignus“ est, ut Bachrensius bene adnotat. Sed iniuria idem vocem ‚viro‘ ‚non minus suspectam atque a sensu intolerabilem“ esse iudicans ‚cara suis“, h. e. cara propinquis, restitui vult. Qui error e vi coniunctionis ‚cum‘ versus 57 male intellecta ortus esse Webero recte videtur, quae coniunctio hic non vim nostri ‚wenn“ sed ‚dadurch dass“ habet, quo de usu Kuchnerus (II p. 880 sq.) satis copiose disputavit. Deinde conditioni particula ‚cum‘ significatae alia opponi non debet, sed ‚ea una et sola species conubii, quae rebus attributis describitur, est intellegenda“<sup>1)</sup>, id quod Bachrensius parum perspexit. Atque quæstæ erant in vv. 46 sq. puellae de virgine, quae per nuptias florem amittat, quam querelam iuvenes ita dissolvunt, ut dicant: immo hoc ipso conubio, quod par et maturo tempore initum appellant — de aliis omnino non cogitant — virginem fieri viro magis caram minusque patri invisam, h. e. ‚nur teurer“ et ‚nur angenehmer“ (‚minus invisæ‘), ut Weberus bene explicat. Filia igitur, cum maritum nacta est — nam tum demum eam aliquo loco haberi recte iudicavit H. Magnus<sup>2)</sup> — magis colitur et minus negligitur sive minus molesta est. Optime Passeratius quoque comparavit Menandri *Al.* fr. 6 (ed. Meinekii) *χαλεπὸν γε θυγάτηρ κτήμα καὶ δυσδιάθετον* et *Ἀνεψ.* fr. 2 *θυγάτηρ κτήμ' ἐστὶν ἐργώδες πατρί,* atque Meinekius contulit Lyconis apud Diog. Laert. V 65 *βαρὺν φορτίον πατρὶ κόρη,* qui-

<sup>1)</sup> Cfr. ea quae Weberus p. 76 sq. hac de re longius disseruit.

<sup>2)</sup> in: nov. ann. 1876 p. 403.

bus exemplis Ellisius addit Senecae de cons. ad Marc. 19 „adeo senectutem solitudo ad potentiam ducit, ut quidam odia filiorum simulent et liberos eiurent et orbitatem manu faciant“. Quare illud quoque apparet ‚magis‘ et ‚minus‘, quibus in vocibus Riesius haerebat, hic apte a Catullo adhiberi.

Aptissime autem hos versus excipiunt versus 59 sq., neque quicquam praeter verbum intercalarem inter vv. 58 et 59 desideratur; exspectamus vero particulam adversativam ‚at‘, non coniunctionem ‚et“, quam Riesius Ellisiusque defendere frustra conati sunt. Atque codex T exhibet ‚et tua nec“, V ‚et tu nec“, pro quo vulgo legitur ‚at tu ne“, neque dubitari potest, quin is qui T exaravit ante oculos habuerit ‚*Ἐττυνεε*“,<sup>1)</sup> ex quo negligenter ‚et tua nec“ fecit. Negatio vero ‚nec“, cuius loco Bachrensius priscum ‚nei“ poni vult, quod ‚nec“ continuare videatur amissam in initio disputationem, commutari non debet, quod ‚nec pugna‘ est integra et iusta structura.<sup>2)</sup> Itaque v. 59 hoc modo corrigi et distingui velim: ‚at tu nec pugna cum tali coniuge, virgo!‘ ut unum efficiatur enuntiatum. Vox denique pugnandi ‚luctamen“ indicat, quo novae nuptiae contra virum irruentem defendebant virginitatem. ‚Tali‘ autem est ‚virtutibus tam eximio“, cfr. Cic. pro Sex. Rosc. 52, 151, div. in Caec. 16, 51, alios.

**v. 60.** ‚Non aequum est pugnare‘ coniungendum est cum sequentibus neque mutari debet, etiamsi subdure ‚cum eo“ vel ‚ei“ supplendum et ‚te“ subintellegendum est, id quod neque excusatione eget neque vituperari potest.

Contra vulgarem opinionem Weberus duos versus illos ita reponit et distinguit: ‚Est tua, nec pugna; cum tali coniuge, virgo, non aequom est pugnare, pater cui tradidit

<sup>1)</sup> Cfr. Bachrens. I p. LXVIII et Leutsch. I. I. p. 1980.

<sup>2)</sup> Cfr. Kuchner. II p. 147 sq.



ipse, . . .“ Ac primum fingit ante hos versus praeter versum intercalarem aliquid amissum esse, quod verbis „est tua (sc. virginitas), nec pugna“ continetur. At apparet Weberum hanc coniecturam nulla alia de causa fecisse nisi ut partium distributionem suam tueretur; vult enim vv. 59—61 virginibus tribui, id quod, ut supra <sup>1)</sup> demonstravimus, fieri nullo modo potest. Deinde „est“ neque T neque V exhibet. De „tradidit“ vide part. I p. 16.

Versum 61, quem T omisit, optimo iure editores ex G et O in textum receperunt, nam, ut sententia expleatur, plane necessarius est.

„Pater cum matre“ est „una cum matre“ vel „et mater“; saepius enim a poetis „cum“ copulative usurpatur, ut a Verg. Aen. III 176, aliis.

Versum 63 codex T claudicantem sic tradit: „Tertia patris pars .ē. data tertia matri“, ac mendum in priore tantum parte latere O indicat „tercia pars patri ē data tertia matri“ praebens. In utriusque scriptura una vox desideratur, nec difficile est intellegere, quae sit illa vox et recte vidit librarius codicis G, qui exemplar suum hoc modo interpolavit: „tercia pars patri data pars data tertia matri“. Est igitur alterum „pars“ restituendum, quod is qui archetypum scripsit facile omittit potuit a litteris „pa“ primae vocis „pars“ ad „pa“ sequentis „patris“ aberrans. Quare e codicis T scriptura versum sic refingi velim: „tercia pars patris, pars est data tertia matri“; qui versus melius cadere et volvi mihi videtur quam Weberi: „tercia patris pars etc.“ Reiciendae autem sunt coniecturae eorum, qui e codice O dativum „patri“ aut „patrist“ restituerunt, cum omnis emendatio a T proficisci debeat; praeterea genetivo verbum „est“ in antecedenti versu iam bis positum addi non posse recte

<sup>1)</sup> Part. I p. 10 sq.

B. Schmidtus adnotavit. Hemistichium vero „tertia pars patris“ superiori „ex parte parentum est“ continuatur. Sunt qui in mensura „patris“ haereant eamque apud Catullum inauditam esse contendunt,<sup>1)</sup> quae quin Catullo concedenda esset, artis metricae locupletissimi auctores minime dubitaverunt. Neque cum poetae „patris“ vocis paenultimam syllabam saepius produxerint (cfr. Lucr. IV 1222 „patres“; Ovid. met. VIII 72 „patre“, VII 431 „pätres“, III 383 „pätria“), est cur „patris“ ab Catullo abiudicemus, praesertim cum „cūpressu“ (c. 64, 291), „dūplex“ (68, 51), „flāgrantia“ (64, 91), „mitrae“ (64, 68), „scābra“ (68, 151), alia sine ulla dubitatione scripserit.<sup>2)</sup> Versus denique ipse vere Catullianus est neque quicquam suspiciosi habet, quare Schoellii iudicium, qui eum manifestam interpretationem et interpolationem existimat, prorsus negligere possumus. [Cfr. ea quae de integritate huius versus Weberus (l. l. p. 9—12) praeclare disseruit.]

v. 64. „Noli pugnare duobus“: Dativum cum verbo pugnandi coniunctum pro praepositione „cum“ et ablativo Graecorum more primum Catullum hic usurpasse plerique optimo iure opinantur.<sup>3)</sup> Nam primum Graecorum verborum sive structura sive notione Catullum saepissime usum esse inter omnes constat, deinde neque in soluta neque in devincta oratione exempla inveniuntur, quibus hanc structuram ad primordia linguae Latinae revocandam esse satis confirmetur. Quam ob rem iniuria Weberus auctore G. Hoerlio<sup>4)</sup> eius dativi originem ab ipsa Latini sermonis natura repetivisse mihi videtur. Porro in dumeta correperere eum apparet statuentem non sine notionis differentia Ca-

<sup>1)</sup> Cfr. Schoellium l. l. p. 490.

<sup>2)</sup> Cfr. Rud. Sydow., de rec. Cat. carm., diss. ing. Berol. 1881 p. 35 adn.

<sup>3)</sup> Cfr. Draeger, I<sup>2</sup> p. 406, Kuehner, II p. 234.

<sup>4)</sup> in: de casuum usu Propert., diss. Hal. 1887 p. 41.

tullum in v. 59 „pugnare cum“ et hic „pugnare alicui“ dixisse. Explicat igitur „is dativus . . . ex adversandi vi pendens indicat secundum Latini sermonis vulgarem morem eos, ad quos certamen pertinet, sed cum quibus ipsis, ut cum coniuge, non initur“. Spinose quidem, neque enim ullam adesse differentiam docet Ovidius, qui (met. I 19 sq.) duplici eiusdem verbi pugnandi

structura utitur: „Frigida pugnabant calidis, umentia siccis, mollia cum duris, sine pondere, habentia pondus“.

Ceterum illud ‚noli pugnare duobus‘ proverbii locum obtinuisse Passeratius suo iure adnotavit. Comparare possumus illa Platonis leg. XI 919B *πρὸς δύο μάχεσθαι καὶ ἐναντία χαλεπόν*, Phaed. 89C *πρὸς δύο οὐδ’ Ἡρακλῆς*, Euthyd., alia.